8

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

ACTIONE ERYSIPELATOSA,

AB INFLAMMATIONE PRORSUS DISTINGUENDA.



AUCTORE HENRICO EVANS HOLDER, M. D. &c.

Morbum Erysipelas dictum inter inflammationes parum accuratè recensere, malum planè sui generis esse, et ab inflammatione non minus diversum quam haec aut illud a gangraenâ vel febre vel apoplexia, asserere novum non est. Cum autem haec sententia, rebus certissimis, exque his ratiocinatione aequissima, defensa sit, mirum mihi semper visum est vocabulum *inflammationem Erysipelatosam* medicis adhuc usurpari, variisque conditionibus morbosis, ab inflammatione

[1816]

longè ac naturaliter diversis, usque tribui solere.

In hisce quae insequuntur paginis mihimet proposui, I. Actionis Erysipelatosae indolem considerare; II. Conclusiones, quales res ipsa ostendere videatur, deducere; III. Quae his objici possint perpendere atque diluere; IV. Opiniones denique quasdam conjecturales, futura et accuratiore contemplatione refellendas aut confirmandas, proferre.

I. Actio Erysipelatosa summam cutem, membranasque mucosas plerumque afficit. Verique simile est membranas serosas ei sedem aliquando praebere. Late admodum serpere proclivis est. Actio Erysipelatosa morbus partis tantum corporis est; sed affectionem totius corporis symptomaticam producere valet. Cum actio haec morbosa corporis superficiem occupavit, indiciis hisce denotatur. Ipsa morbi sedes calore aucto subinde ardente afficitur: color coccineus, aterve rubro mixtus, pressu evanescens, pressu verò amoto, rediens. Rubor autem hic

non circumscribitur arcteve definitur; sed late diffusus, ad margines colore cutis naturali commistus. Dolor aut molestus, pruriens, aut urens, aut simplex, nulla pulsatione comitante. Pars tumet, splendet, non tamen densa, circumscripta fit. Tactu inelasticus, mollis, tumor, qui aliis oedema quasi fit, foveam digito admittens, ita ut facies sic affecta, vesicae aqua distensae, comparata fuerit; exhalantium arteriarum actio intenditur, adeoque vesiculae in corporis superficiem formantur. Hae modo exulcerantur, gangraena corripiuntur; modo intra octo decemve dierum, squamis furfuraceis, magis commode finiuntur. Vasculorum partis actio velocitate quidem augetur, vis autem contrahendi, tensioque imminuitur; unde fit exhalatio: sed curiosissimus morborum contemplator * affirmavit, " A circumscribed
" cavity containing pus is never seen in a
" legitimate erysipelas; and when a puru-
" lent effusion happens in any considerable
" degree, when the part is examined, it af-
" fords a sensation similar to that which is

---

* Dom. Johannes Pearson Londinensis.

"excited by a quagmire or morass. In that "sort of suppuration which sometimes supervenes to Erysipelas, the cellular membrane "suffers great injury, and not uncommonly "the part is in a gangrenous condition."

Totius corporis affectio symptomatica, horrore, nausea, solitisque febris signis adventum actionis erysipelatosae praenunciat, morbumque pari passu concomitans, notas debilitatis, et irritationis universae exhibet; auctoribus quibusdam febris symptomatica, aliis erethismus est, nuper celeberrimo Georgio Fordyce *irritationis signa;* eaque corporis affectio est, a synocha, febre inflammatoria, aliisve inflammationis universae signis, quam latissime diversa. Pulsus frequens, parvus, saepe debilis; vires admodum affliguntur; functiones perturbantur; delirium, et coma saepe inducuntur.

Indicia inflammationis universae aut synochae, quum accedunt actioni Erysipelatis, adventitia tantum, ni fallor, et fugacia sunt. Hominibus robustis ferè, frigidum purum aërem reciprocantibus, rureve degentibus, superveniunt. Talibus quidem exemplis, habenda sunt, me saltem judice, cum actione

morbosa nihil connexa, perinde ac siquando febri idiopathicae accesserint; neque omnino forsan vero absimile est, ea conatus corporis esse ad curationem naturalem efficiendam, cumque adsint prognosin faustiorem ostendere.

Actio Erysipelatosa, febris similis, in proclivibus ad inflammationem, et aërem purum inhalantibus, aliquando partis cujusdam inflammatione aut visceris interni supplantari potest, quod aegrum periculo objiciat.

Actio Erysipelatosa translationi prompta admodum est, ex aliâ in aliam corporis partem saepe transiens, neque non in viscera interna, ubi plerumque mortifera fit.

Pulsus, in Erysipelate puriore, non durus est.

Cum in cerebrum, ut videtur, translatio fit, necne id organon actione vasculorum Erysipelatosa afficiatur incertum est. Certum est quod corporum sectiones nihil inflammationis simile ex delirio et sopore ostenderunt. Medicus eximius Wells in libello de Erysipelate hoc notavit, atque narrat Doct. Bailie, adaperto hominis Erysipelate mortui, comate quidem et delirio affecti,

cadavere, invenisse omnes in capite partes specie qualicunque morbosa liberas. Veri admodum simile est, soporem et delirium indicia tantum irritationis perinde ac alia in corpore orta fuisse.

Actio Erysipelatosa haud raro comes vulneribus, membranarum punctionibus, ulceribus symptomaticus est, quin et certis corpori medicamentis admotis excitetur. Saepius eodem corpore redire potest, nonnullis semel bisve in anno constanter satis aggreditur. Hinc discrimen inter hunc morbum et exanthemata manifestum.

Proventus potius aliorum morborum, quales sunt quartana, convulsivi, aliique, actio Erysipelatosa nonnunquam videtur, maloque primogenio succurrit.

Huic actioni infantes opportuni; his autem morbus congenitus nonnunquam apparet: post diem tamen natalem subinde forma diutina perseverans, sed aliquando in partem aliquam internam et in mortem desinit: infantem bimestrem bene memini, cui intra hebdomadas tres summum corpusculum totum pervagavit, mortem denique attulit, in

intestina aut peritoneum, veluti signa ostenderunt transeundo.

Temperamentum aetasve nulla actione Erysipelatosa immunis, at corpora debilitata hydropica, mediam aetatem praetervecta, impetui ejus opportuniora sunt.

Actio Erysipelatosa saepius autumno accedit, aëreque impuro potius, calidisque, quam frigidis regionibus.

Quod actio Erysipelatosa contagiosa sit, verisimillimùm videtur, quae Doct. Wells edidit, omnem, meo quidem animo, scrupulum tollunt. Prof. Home† dixit, Erysipelas illud nosocomio Edinensi anno 1774, epidemicè grassans fuisse "beyond all doubt "infectious, though it was never before "thought so: for the patients in the beds "next to those who had the Erysipelas, and "the nurses attending them, were infected, "and the surgeons of the hospital found "that an Erysipelas supervened on every "incision." ‡

---

† Vide Clinical Experiments, p. 86.

‡ Si de hoc quidem argumento fusius disserere opus esset, multa naturam actionis Erysipelatosae contagiosam

Quam facile hominibus chirurgiam recens passis, actio Erysipelatosa superveniat, saepissime observatum fuit, quodque actio Erysipelatosa ab actione inflammatoria prorsus diversa sit, valide corroborat; quodque conditione quadam peculiari aëris ambientis propagetur, hoc ostenditur, quod valetudinaria rite purgare, morbi progressum sistat, sicut tempore dicto, in valetudinario Edinensi accidebat: quodque modi jam optimi munditiem, liberamque ventilationem nosocomiis comparandi, morbum ex his omnino fugarunt.

Actionem Erysipelatosam non intra corporis superficiem tantum cohiberi a cynanche maligna, vel ut alii nuncupant "Erysipelatous sore throat," aut inflammatione Erysipelatosa membranae faucium mucosae satis (ni fallor) demonstratur. † Crustae in membranam mucosam formatae, species gangraenosa, quae secto cadavere, in conspectu ve-

---

ostensura proferri possint. Sufficiat autem dubitantes ad dissertationem Doctoris Bright inauguralem 1813 referre.

* Vide Fordyce's Practice of Physic.

niunt, extensio deorsum actionis Erysipelatosae, profectus manifestus curationis, Erysipelati gangraenoso idoneae, hujus appellationis usum vindicat.

Atque hìc rem, ex multo, Joannis Pearson usu, erutam, non alienum erit proferre: Dixit enim,* "that the seat of Erysipelas is "said to be in the rete mucosum; and without doubt this membrane is considerably "affected; but it is not confined to this "part, for the tela cellulosa is always, and "to a considerable degree, the subject of "the disease; the situation of the complaint "therefore is not that which discriminates "erysipelas from phlegmon: and, on the "other hand, it is equally certain that internal irritable surfaces are as frequently attacked with inflammation as erysipelas."

* Vide Principles of Surgery, p. 190.

II. Signorum actionis Erysipelatosae historiam tam plenam necessariam esse judicavi, quod discrimen inter actionem inflammatoriam et Erysipelatosam adeo manifestè commonstret; quodque istud ex tractandis mihi brevissimum reddat.

Sensûs in parte ipsa pulsantis defectus totus, rubor hebes neque clarus, tumor nihil tensus, diffusus; actionem Erysipelatosam, a tumore, rubore, dolore phlegmones satis superque distinguunt: humoris effusi, ex actione Erysipelatosâ, natura, suppuratio idonea, circumscripta, salutaris nulla; irritationis signa, pulsusque minime durus, diagnosin amplius ostendunt. Exemplum contrariae conditionis, ex actione Erysipelatosa et inflammatoria, morbosae; eâdem, vel quam proximè eâdem, affectione partis et totius hominis, cohortem in posteriore malorum, a prioris in tantum ostendit abhorrentem, ut omne scrupulum tollet, quin penitissime et latissime morbi differant. Unde concludere oportebit actionem Erysipelatosam, in sermone medico, inflammationem quasi non tractari, debere.

Ubicunque sub summam cutem actio Erysipelatosa extenditur testimonium evidens admodum fit: hic enim phlegmones sedem occupavit, tamen neque tumor circumscriptus, neque dolor pulsans, neque cavum puris definitum, neque indicia inflammationis universae (vel synocha) inflammationem phlegmonicam denotantia subsunt.*

Conclusiones igitur, quas ex historia jam dicta inducturus sum, hae sunt :

Quod phaenomena actionem Erysipelatosam et inflammatoriam comitantia status corporis, toto coelo, diversos indicant, qui simplices, neque aliis affectibus mixti, curationes diversissimas poscunt : † inflammationibus

---

* Nobilis ille medicinae praeceptor Georgius Fordyce, vocabulum quidem inflammationem Erysipelatosam usurpabat, tam plane autem eorum diversitatem perspectam habebat, quod praelectionibus publicis, praeter actionem solùm auctam utrisque communem, in omnibus ex toto differre admitteret.

† Adversa, prorsusque aliena symptomaticae affectionis in utrisque natura, curationes quam latissime diversas certe indicat: et praedispositiones variae ad morbos duos atque hos sub conditionibus tam late differentibus excitatos, idem ostendunt.

non minus vis quam frequentiae arteriarum incrementum utique est: actione vero Erysipelatosa, dum arteriarum pulsus fit frequentior, vis minuitur. Ex historia quam proposui, concludere ausim, hanc actionem vasculorum auctam, defectum vis tonicae eorundem et contractionis comitari. Actionem abnormen facit, vires vitae minuit, quod partium gangraena, fluidae effusio, periculosaque irritationis universae indicia subsequuntur. Si rem ita bene perspexi, quod actio Erysipelatosa, conditio, sui generis, morbosa sit, confirmat, quòdque actionis inflammationis parum similis sit; imo discrepet ex toto, quod ad phaenomena et effecta graviora, sive partem aliquam sive totum corpus turbantia; quod differat, denique, ab inflammatione non minus quam febris idiopathica ab utroque.

Proximum est, ut quae objiciantur sententiae hic prolatae consideremus.

III. Objiciant aliqui, ruborem, tensionem, inflammationis notas esse, atque cum haec actionem Erysipelatosam comitentur, eam ideoque inflammationem esse oportebit. His respondeo, ordinationem nosologicam veras et necessarias morborum notas dare nunquam posse; vitia autem talis ordinationis necessaria, singularem in modum, actioni Erysipelatosae commodata, demonstrari. ‡ Supra ostendimus ruborem actionis Erysipelatosae dissimilem verae inflammationis esse, acutum hujus pulsantem dolorem, actionis Erysipelatosae dolorem nihilo referre; tumorem illius in pus vergentem, diversitatem hujus indicare, qui diffusus, in vesiculas et gangraenam desinit; aut, si suppuratione junctus sit, ea in tantum ab suppuratione inflammationum abhorret, ut praesens, discrimen actionum optimum existet. Ut cre-

---

‡ Ruborem merum nullam inflammationis esse notam a Doct. Yellowly bene ostensum est; stomachos enim suspensorum, variisque morbis extinctorum, ruborem inflammationis similem exhibere reperit.

derem, igitur, adducor, si signa comitata aut producta ex calore, tensione, rubore utriusque morbi communi, contrariâ naturâ sint; similitudo eorum aliter tenuis, unum et eundem morbum constituere non valet, quum facile dicere possumus, eadem indicia pathognomica utrisque inesse.

Objici quoque potest, Erysipelatosam et inflammatoriam actionem eundem morbum esse posse aliquantum a diversitate sedis variatum; inflammationem, hac corporis parte, factam, signa Erysipelatosa; illâ, inflammatoria exhibere. His, procul dubio, hypotheticis objectis, rem observatam a Joanne Pearson veram opponere possum; actionem nimirum Erysipelatosam in tela cellulosa sitam, indicia a phlegmonis prorsus diversa concitare; Cynanchem quoque tonsillarem et Cynanchem malignam contra hanc notionem argumento admodum esse. Praeterea, si actio partis morbosa, *e. g.* cutis, indicia inflammationis diversa efficiat, iterum affirmo, eundem esse morbum, sermone strictiori, non considerare debemus: idcirco sive partium fabricam vasorum actionem mutare credamus, sive actionem Erysipelatosam mor-

bum esse sui generis, quamcunque corporis partem afficiat, eodem redit; concedendum est, hanc diversam esse ab actione inflammatoria: aut, aliis in verbis, si propensio inflammatoria corpore excitetur, atque haec propensio, quadam causa operante, actionem in vasculis cutis, membranaeve mucosae faucium, morbosam cieverit, morbum inflammationi dissimilem, forma actionis Erysipelatosae cutis, aut Cynanches malignae habemus: veri tamen similius est, partium structuram vim convertendi propensionem inflammatoriam in actionem prorsús diversam possidere, cum videmus membranam mucosam inflammationis phlegmonicae capacem. Quod in Cynanche tracheali ostenditur, ubi inflammatio superficiei membranae mucosae haerens, excretionem lymphae illam inflammatoriam, non exuviae et ulcera Cynanches malignae. Adde quod in pertussi eadem membrana (verisimile est) saepe afficitur actione Erysipelatosa, effusionem humoris mucosi efficiente.

Adjici quoque potest leges quibus vascula in morbo parent, parum compertas aut defi-

nitas haberi: littora quidem legimus, regionem interiorem nondum exploravimus.

Quod ideo subnecturus sum diffidenter et haesitans propono.

Ex morborum phaenomenis conjicio, cum certae causae proclivitatem ad actionem vasculorum morbosam auctam effecerint, haec actio in febrem idiopathicam partis inflammationem, actionem Erysipelatosam converti, prout variae res corpus extrinsecus aut intus affecerint. Sic homo regionem frigidulam habitans, aërem purum spirans, corpore robusto fruens, inflammationem phlegmonodeam, aut febrem idiopathicam inflammatoriam patietur. At si eadem causa hominem debili et irritabili corpore praeditum, plagae calidae incolam, aërem inquinatum inhalantem affecerit, actio Erysipelatosa, typhus aut febris idiopathica abnormis, cum aliquorum organorum vel secretionum affectibus, excitabuntur. Quum autem eadem causa communis effectus diversissimos excitet, nonnunquam accidit, actiones morbosas aliam in aliam transire; videlicet quas *superventiones* et *conversiones* morborum nuncuparunt, ac-

cidunt. Inde fit quod in febribus idiopathicis cujusdam organi inflammatio orietur, atque febrem signa inflammatoria aut actio Erysipelatosa supplantant; ideoque superventus actionis inflammatoriae inflammationem generalem aut synocham inducet, quod, crederem, morbum sanabiliorem reddit.

Tertiò, affirmari potest gangraenam actionis Erysipelatosae pariter atque inflammationis sequelam esse, morbos igitur unum esse; huic breviter respondendum puto, gangraenae non ex necesse inflammationem praecedere. Exemplis gangraenae valetudinariae vehementissimis minimam inflammationem praeire, verbisque Joannis Pearson,—" It often " originates from causes which imply a state " of the part, or of the system, that is the " reverse of inflammation." *

Hinc nihilo magis actionem Erysipelatosam et inflammationem eundem morbum appellare debemus, quia utrumque gangraena subsequitur, quam hydropem et inflamma-

* Vide Pearson's Principles of Surgery.

tionem in unum conferre, quia gangraena his quoque ambobus supervenit.

Quartò, objici potest sanguinis missionem, regimenque antiphlogisticum saepe in actione Erysipelatosa profecisse; unde eam inflammationem esse sequi; huic in verbis J. Pearson satis erit respondere, missionem sanguinis generalem non praecipiendam esse: "In the same sense in which it may be said "to remove an inflammation, it is advised "with the same intention of obviating the "effects produced in the system by so se-"vere a stimulus." Adjicerem, sanguinis detractionem morbum subinde sanâsse non magis hunc quam apoplexiam inflammationem esse ostendere. Indicia, praeterea, inflammationis manifesta actioni Erysipelatosae non necessaria esse. Cum in unica tantum ejus varietate (Erysipelate phlegmonodea) sese ostendunt; in ea ista indicia adventitia esse, neque morbo necessaria, morbum tum sanabiliorem esse, neque acrem morbi inflammatorii medicinam requirere. Heberden sic dixit: "Natura hujus morbi videtur "esse plerumque maligna, ut medici loquun-"tur, potius quam inflammatoria, id est, ne-

" que postulat neque ferre potest, purgatio-
" nem alvi aut sanguinis detractionem." *
J. Pearson, quod " This distemper seems to
" partake of the nature of those which are
" called malignant, more than of inflamma-
" tory; by which I mean, that, in general,
" it does not require nor bear much evacua-
" tion. I have seen very dangerous symp-
" toms follow not only bleeding, but even a
" gentle purge, though given after the pa-
" tient had begun to recover." Iterum,
" Cases very rarely occur in large towns
" where bleeding is at all admissible."
Doct. Willan contendit, " Venesection is
" evidently improper in three forms of the
" disease, (oedematous, gangrenous, and er-
" ratic), and even in the Erysipelas phleg-
" monodes it does not always appear neces-
" sary." Doct. Gregorius, praelectione de
Erysipelate, quam aliquot annos abhinc audi-
vi, docuit, sanguinis missionem et purgatio-
nes, in Scotia quidem bene proficere, Lon-
dino autem cinchonam et vinum propinari

---

* Vide Commentaries, p. 148.

solere; se inde conclusisse, neutram fere curandi rationem sanationi esse prorsus necessariam. Ex his virorum testimoniis, qui multo ex usu sententiam dicunt, morbum non ex necesse inflammatorium esse duco; cautiones magnas quibus opus est, remediis inflammationis propriis utendis, ostendere quam raro haec curationi necessaria sint, atque siquando sint necessaria, signa inflammationis adfuisse, nihilo magis demonstrat Erysipelatosam actionem ipsam inflammationem esse, quam regimen antiphlogisticum aut sanguinis missio in febre idiopathica, indicia quae tollunt, morbi partem necessariam esse ostendunt.

Denique objici potest, me nomen tantum oppugnâsse, disceptationemque hujusmodi nihil utilis secum ducere. At persuasissimum habeo, homines, nec sibi conscios, opportunos esse nominibus decipi: artem diagnosticam quum in meram λογομαχιαν degeneraverit prorsus inutilem fieri, utilem tamen esse quum cavere modum ordinandi sub capita generalia illum submonet, qui eandem nonnunquam curandi rationem morbis diver-

sissimis indicaret, non vocabula tantum sed medicinam perplexurus.*

Ad finem argumenta jam perduxi, quibus conatus sum actionem Erysipelatosam et inflammatoriam ex toto diversas esse ostendere: unum tantum, idque mihi gravissimum his subjungam.

In syphilide, morbisque syphiloideis *duae* actiones morbosae, iisdem in partibus, simul existunt, multa signa communia exhibentes, penitus tamen imo radicitus distinctae: ac-

---

* Postquam haec scripseram in opinionem praeclari nuper viri Joannis Clarke Londinensis incidi: atque haec tam apte ad rem nostram pertinet ut exscribendam curavi. Dixit, "It appears to me of great consequence, "to distinguish, by different names, diseases which have "some symptoms in common; otherwise a confusion in "name will lead to a confusion in practice, and to the "use of the same remedies in disorders very different "from one another. If, in some cases, advantage has "been derived by the patient, in others much mischief "has been done. Error has been propagated, and im-"provement in practice could not reasonably be expect-"ed." Vide Transactions of the Society for the improvement of Medical and Chirurgical Knowledge, vol. ii, p. 322.

tionem Erysipelatosam et inflammatoriam istiusmodi exemplum intelligo: neque rectius actionem Erysipelatosam et inflammatoriam ejusdem conditionis morbosae varietates diceremus, quam si syphilidem morbosque syphiloideos, actionis syphiliticae varietates simpliciter vocaremus. Neque levioris momenti puto, inter Erysipelatosam et inflammatoriam actionem, quam inter febrem et inflammationem, aut inter syphilidem morbosque syphiloideos accurate distinxisse.

Hinc disputationis nostrae parti finem imponam, verbis hisce ex libello Joannis Pearson,* subnexis, utpote quae summatim notionem quam tueri conatus sum, breviter exponant. Dicit, " As it would be esteemed " absurd in physics to affirm that an atom " could move in contrary directions at the " same instant of time, so it would be equal- " ly unreasonable to suppose that the human " body, or any part of it, could exist in op- " posite conditions at the same period. To " assert, therefore, the subsistence of an in-

* Vide Principles of Surgery, p. 13.

"flammation in any particular part, while "the same part labours under an affection "which implies a state the reverse of in-"flammation, would be inaccurate and un-"philosophical."

IV. Paucas, jam restat, conjecturas istas posthac explorandas proponere, quos morborum contemplatio morbique conspectus quem admisimus submonuerit: quaestiones tamen potius investigandas, quam sententias jam confirmatas, has subjicio.

Quaeritur, annon actio Erysipelatosa varias corporis partes internas aeque ac summam cutem primitùs afficit? adeoque morbi varietates pro visceris partisve affectae naturâ efficiat? Aut, verbis nosologorum utendo, facitne actio Erysipelatosa, perinde ac phlegmasiae, novum morborum ordinem, plurima genera in se habentem; quorum discriminatio accurata desideranda usque est? Si tales actiones morbosae existant, annon morbos acutissimos, ab iis gastritide, enteri-

tide, erythematicis a Culleno nuncupatis, diversissimos constituerunt?

Argumentone cynanche maligna valide esset, tales morbos existere? Eaedemque partes actionis inflammatoriae aeque ac Erysipelatosae, nonne sunt capaces? adeo ut, *e. g.* modò cynanche tonsillaris, modò cynanche maligna, ipsissimam partem occupant: aut membrana tracheae mucosa, nunc inflammari, cynanchem trachealem faciens: nunc actione Erysipelatosâ affici potest, morbum longissime diversum inducens? *

---

* Doctus Parr de morbo quem Anginam trachealem appellat agens, haec verba facit. "The croup we shall "consider under the appellation of Angina Stridula, and "confine the present term to the *malignant angina*, ex-"tending to the trachea, or to that species of the dis-"ease in which the larynx and trachea are originally "attacked. To this complaint authors have not perhaps "paid due attention: it is indeed seldom an original dis-"ease; yet within our own observation it has appeared "to be so. It is truly an erysipelatous inflammation, in "contradistinction to the phlegmonic; nor does it mate-"rially differ in its treatment from putrid pneumonia or "angina maligna."

Suntne pneumonia putrida,† similesque morbi ab auctoribus descripti, exempla hujus actionis Erysipelatosae? juvantia quoque et laedentia nonne his in morbis hanc opinionem multum roborant?

Pluresne morbi, quales sunt pertussis, dysenteria contagiosa, multaque canalis intestinalis vitia, naturae actionis Erysipelatosae saepe participant, praecipue cum vitae minitantur, lethoque afficiunt?

Quaeri potuerit, num variis in morbis chronicis, pars eorum necessaria vel advententia sit actio Erysipelatosa? atque hujus rei aphthoides chronica a Doctore Hillary in morbis Barbadensium descripta, exemplum videtur.

Annon his quaestionibus responsa assentire deberent, investigare, theoriae autem

† Vide Dr. Wilson Phillips on Febrile Diseases; Huxham's Works, vol. ii, p. 184; Parr's Medical Dictionary, vol. i, p. 119.

quam illa confirmarent, veritatem, rebus factis et observatis, illustrare, opusculum hocce longe ultra terminos disputationis inauguralis produceret.

FINIS.

EXCUDEBAT C. STEWART.